

nasterii, post reformationem Ecclesiae salutarem, gratia et iussu Mauritii, Electoris Saxonie, Bibliothecae Academiae nostrae Paulinae insertae, speciatim vero de MSCtis eius, quae adhuc in Bibliotheca ista nostra publica adseruantur, quaedam docte commentatur. Tandem Sect. VI. Priuilegia huius coenobii quondam singularia enarrat, diplomatum, quae huc pertinent, comparatione sedulo et diligenter instituta. Nos iam breuem Marchionum et Ducum Misniae, ac Landgrauiorum Thuringiae, in Cella Veteri sepultrorum recensum, secundum catalogum et commemorationem MULLERI, dabimus, de vita vnius alteriusue alia occasione acturi. Nempe tametsi FABRICIVS in Annal. Misn. p. 62. solum VII. Principes illustres in Cella Veteri sepultos tradat; at ALBINVS XX. personas illustres et SCHLEGELIVS XXVI. earum commemoret; SAGITTARIVS autem numerum eorum ad XXXI. extendat, vt potest quem SCHLEGELIVS XXVI. personis suis illustribus V. sequentes, scilicet *Iuttam*, Theoderici adficti coniugem, in monasterio Vesserano conditam, *Theodericum*, Episcopum Numburgensem, Numburgi sepultum, *Conradum* Misniae dormientem, *Dietericum* denique et *Fridericum* *Tuttam*, Seufelizii cubantes, perperam addere existimat: MULLERO tamen contra XXVIII. personae illustres commemorantur, quarum cineres in cella illa veteri adhuc adseruari non dubitat. Sunt autem illae sequentes: I. OTTO, Marchio Misniae, cognomento Diues, ob argenti venas ditissimas, eius tempore circa cellam veterem et loca quaedam contamina detectas, fundator coenobii non minus ac conditorii illustris, in eo exstructi, qui die 18. Febr. A. 1189. post natum Christum, diem suum supremum expleuit. II. HEDEWIG, vxor Ottonis diutis et filia Alberti Vrsi, Electoris Brandenburgici ex Sophia Reineccensi, circa annum 1197. demorta. III. ALBERTVS, cognomine Superbus, filius Ottonis maior, qui die 24. Junii, anno 1195. vita excessit. IV. SOPHIA, vxor Alberti superbi, ex Friderico, duce Bohemiae, oriunda, quae maritum 24. Iulii eiusdem anni moriendo sequuta. V. DIETRICVS, vel etiam Theodoricus cognomine adfictus M. Ottonis diutis filius natu minor, qui fratri, Alberto, in Marchionatu Misniae A. 1195. successit et vita functus est die 17. Febr. anno 1221. Patri ad latus positi sex liberi scil. VI. OTTO. VII. CONRADVS. VIII. IVTTA. IX. HEDEWIG. X. SOPHIA. et XI. HENRICVS illustris, item malleus dictus, alter Cellae fundator, qui iure haereditatis a patre Marchionatum Misniae anno 1221. a matre vero, IVTTA, Landgraviatum Thuringiae anno 1248. accepit, et vitam denique finiit anno 1287. XII. CONSTANTIA, Heinrici illustris coniux prior, ex domo Austria-ca, die 7. Julii anno 1243. morte extincta. XIII. AGNES, Heinrici illustris coniux altera, et Ottocari, regis Bohemiae filia, quae d. 10. Octobr. anno 1268. exspiravit. XIV. ELISABETHA, tertia Heinrici illustris coniux, ex gente Maltitzia. XV. FRIDERICVS. cognomine parvus, Heinrici illustris ex Elisabetha Maltitzia filius primus, qui naturae debitum soluit d. 25. Apr. anno 1316. XVI. HERMANNVS, dictus longus, Heinrici illustris ex Elisabetha, tertia sua coniuge, filius secundus, anno 1304. de-mortuus. XVII. FRIDERICVS Tutta seu Balbus, Heinrici illustris ex filio Dietrico, sapiente nepos, mortuus d. 16. Aug. anno 1291. XVIII. HENRICVS, Alberti degeneris filius, qui anno 1299. de vita exiit. XIX. HEDEWIG, vxor Friderici sine terra. XX. FRIDERICVS sine terra, Alberti degeneris ex Henrico nepos. XXI. AGNES, ex Carinthia, Friderici admorsi, Marchionis Misniae et Landgrauii Thuringiae, vxor, quae anno 1293. corporis exuuias deposita. XXII. FRIDERICVS, Claudus, Friderici admorsi filius maior, quem ex Agnete suscepit, in oppugnatione